



Mb. 6.

4
ORATIO DE
BASILIO EPISCO
po Cæsariensi habita a
Iohanne Turste
nio Decano.

ORATIO D. CASPA
ri Crucigeri de dono Inter
pretationis in
Ecclesia.

ELEGIA STIGELII
de herba Teucris.
1545.

VITEBERGAE.

GRATIA

GRATIA

GRATIA

GRATIA



ORATIO DE
BASILIO EPISCO
po Cæsariensi habita a
Iohanne Tur
stenio Des
cano.



V M COELE
stis doctrinae cu
stodia & propa
gatio docentium
& discipulorum ag
minibus, id est,
scholis diuinitus
commendata sit.

Intelligamus nostrum munus, quod omnia
um in caelo & in terris maximum & summum
est, & cum exercitia scholastica amemus, tum
uero his honestissimis congressibus delectemur
quos sciamus non institutos esse, ut sint tantum ocio
sa spectacula, & inanes ludi, ut scenici, Sed ut

A ij in

in hac frequentia commonesacta iuuentus de studijs Ecclesie necessarijs, & de sua uocatione, deo gratias agat quod doctrinae lucem non extinguit, & hos nostros coetus defendit, ac petat aeternis uotis ut inter nos sibi Ecclesiam perpetuo colligat, ac disciplinam & studia regat. De his reb., omnium maximis in his nostris congressib. cogitemus, ac sciamus de his quoq; dictum Christi dulcissimum concionari. Vbicunq; duo aut tres conuenerint in nomine meo, in medio eorum sum. Versamur una in his castris & propter Christi doctrinam, & inuocantes ipsum, quare ut nobis adsit, exuscitet pectora ad uirtutem, iuuet & gubernet labores nostros precemur. Filium dei dominum nostrum Iesum Christum huius gymnasij & coetus Rectorem esse ducite, eumq; propius adesse uobis spectatorem omnium actionum statuite, quam adest hic ipse Magistratus quem usitate Rectorem uocamus. Adest autem non tantum ut ociosus spectator, sed ut εγωδιωκτης, hortatur ut fidem & diligentiam intuendis & ornandis artibus quae Ecclesiae utiles sunt, praestemus, & iuuat sedulos qui ipsum inuocant, contumaces uero adficit supplicijs. Hanc
sententiam

sententiam infixam animis omnium esse oportet
Cum autem nunc ratio muneris quod gero coga-
me hoc loco orationem habere, decet me uelut
εξ αρεχ ορ esse publicæ precationis. Quare
mea uerba ueris animi uotis subsequimini. Tibi
gratias agimus deus æterne pater Domini nostri
Iesu Christi, quod doctrinæ tuæ lucem nobis ac-
cendisti, & oramus ut hunc docentium & discen-
tium cœtum serues, regas, defendas, & labores
nostros spiritu sancto tuo iuues, ut nobis & pos-
teritati sint salutare. Colligas tibi Ecclesiam cū
in toto orbe terrarum tum uero inter nos, & hæc
hospitia Ecclesiæ tuæ & literarum regito & de-
fendito, sicut uiduæ sareptanæ domum defendisti
cū Eliam hospitio excepisset. Hæc prima & præ-
cipua pars est meæ orationis. Nunc aliquid ad-
dendum est quod prodest ad studia uestra tum ex-
citanda, tum iuuanda. Cum autem alias aliæ ma-
teriæ proponendæ sint, dies me admonuit ut Basi-
lij historiam nūc recitandam esse ducerem. Nam
& exemplis inuitantur animi, & in his doctorū
historijs multa sunt quæ augent eruditionem &
formant iudicium. Per sese iucundum est contem-
plari magnorum hominum uirtutes, egregia

A iij facta,

facta, & euentus honestis consilijs congruentes,
ut pictori aut statuario uoluptati est uidere ele-
gantem symmetriam & concinnitatem picti aut
sculpti corporis. Sed nobis in Ecclesia non tan-
tum uoluptatis causa uetustas cognoscenda est.
Sed iudicia & testimonia omnium tempo-
rum inquirenda sunt, ut una, consentiens doctri-
na retineatur. Multum ad erudiendas mentes
& confirmandas ueras sententias collatio uete-
rum testimoniorum conducit, si dexteritas adsit
in iudicando, & absit studium calumniandi. Non
contemnamus Dei consilium, qui ministerium
Euangelij et instituit et tuetur, & subinde docto-
res excitat salutare. Fuerunt igitur aliqui quorum
uox & literæ profuerunt Ecclesie, alij magis
alij minus eruditi. Sed colloqui tamen cum anti-
quitate, & testimonia Ecclesie nosse utile est, Mi-
hi credite, cum mota est controuersia, de filio
Dei difficilimum fuit retinere ueram sententiam,
quod sit natura deus, non $\alpha\tau\lambda\sigma\mu\alpha$ ex nihilo con-
ditum. Nec fuit res humani iudicij, aut de qua in-
genij acie statueretur, Sed Deus ipse, ne ueritas
penitus inter homines deleretur, aliquorum men-
tes in uera sententia retinuit, quam Ecclesia pro-
fitetur.

fitetur. Itaque propugnatiores eius sententiae
qui specimen in tanta causa praebuerunt unde
adparet eos diuina adflatu gubernatos esse ne-
quaquam contemnendos esse duco. Quare co-
gnoscite adolescentes tum Basilij tum aliorum pio-
rum scriptorum historias, et ut in peregrinatione
non solum aedificia & arces, sed etiam mores &
sensus hominum considerandi sunt, ut de Vlysse Ho-
merus inquit. Qui mores hominum multo-
rum uidit & urbes, ita in his historijs non tan-
tum priuatas uirtutes clarorum uirorum, sed do-
ctrinae genera contemplantini. Sed in hanc in-
gresso historiam, cum patriam, & domicilium
Basilij mente intueor, quasi peragrans loca illa
Asiae cogitatio uastitatis quam Turci in illa floren-
tissima & pulcherrima parte orbis terrarum fe-
cerunt, ingentem dolorem attulit. Fuerunt uici-
ni Episcopi, eodem tempore tres fratres Basilius
Caesareae, Petrus Sebaste, Gregorius Nyssae, Et his
amici & familiares Nazianzenus pater & filius.
Et ante hos fuit Gregorius Neocaesariensis cla-
rus eruditione & miraculis. Horum uigilantia,
cum & uirtute excelleret, & incorruptam do-
ctrinam retinerent, magna pars Asiae aduersus

A iij Samosatensi

Samosateni & Arii furores defensa est. Nec ue-
ro ullum eo tempore spectaculum toto orbe terra-
rum pulchrius fuit, quam uidere illum cho-
rum uirorum prestantium eruditione & luce di-
uina, & quidem magna concordia regentem Ec-
clesias. Nunc uero quis non doleat, cum floren-
tissimas illas Ecclesias & politias in Turcarum sta-
bula & mapalia uersas esse audimus, plena impi-
etatis, spurcicie, & crudelitatis, qua de re cogi-
tantes non solum Asiae calamitate doleamus, sed
etiam nostro periculo moueamur. Si arcere Tur-
cas uolumus, & uastitatem Asiana similem metui-
mus, cause tollende sunt, flectenda est ira dei ue-
ris officijs pietatis, qua de re alias sepe dicitur.
Ego igitur ne dolore longius prouchar, ad Basiliū
redeo, de quo dicam historica lege, non ut Nazian-
zenus declamitans ac nimis multa parerga mis-
cens, ut si quis ad pulchram statuam purpureos
& sericos pannos suspendat. Ego breuius narra-
bo Basiliij genus, res gestas, & exitum. Natus est
Basilius patre Christiano qui literas docuit, & cum
aliorum hominum liberos tum uero precipue su-
os simul in literis & ijs artibus, quae naturam rerum
& dicendi rationem continent exercuit, & ad
Chri-

Christi agnitionem & inuocationem adsuefecit,
magnumq; fructum huius sui laboris cepit, fuit
enim pater trium Episcoporum, ut ante dixi, Basi
lij, Petri, & Gregorij, qui omnes & eruditione
& pietate excelluerunt & inter se concordēs do
ctrinae puritatem & Ecclesiarum tranquillita
tem in bona Asiae parte retinuerunt. Propter hanc
foelicitatem parentes non modo tunc gaudebant,
sed etiam in uita aeterna iam ingenti leticia adfi
ciuntur, deoq; pro tanto munere gratias agunt.
Nihil enim optabilius, nihil dulcius est sanis pa
rentib. praesertim dirigentib. uitam ad Euangeli
um, quam habere tales filios quorum uirtus Ec
clesiae Dei & probetur & prosit. Cum autem Ba
silius puer in domestica institutione elementa li
terarum & Euangelij percepisset, Caesareae post
ea apud eloquentiae & Philosophiae doctores ex
ercetur, qui locus doctrinae arx & omnium bona
rum artium domicilium, & ut ita dicam, Acade
mia praecipua & florentissima eo tempore fuisse
fertur. Inde Athenas missus ubi tunc minora ali
quanto studia erant, quam in plerisque Asiae urbi
bus. Sed locus propter ueterem celebritatem ad
huc appetebatur. Eo cum uenit non iam audi

A p tor

tor tantum erat oratorum & Philosophorum.
Sed ipsum cum studiosi audiissent admiratione
ingenij, eruditionis, & eloquentiae moti ad docen-
dum inuitarunt quib. aliquandiu gratificatis gra-
ciam breui reliquit quod parum ibi eruditionis
reperisset, & Ethnicae spurciciae plurimum. Et
quia cum aetate cura in eo cognoscenda & tuen-
da doctrinae Christianae crescebat, narrat ipse
hoc se consilio uagari per Thraciam & totam Asi-
am cepisse, ut Ecclesias praecipuas uideret & in
his ardiret non solum quid docerent, sed etiam a
quib. auditorib. & testib. doctrinam accepissent.
Fuit enim aliquanto ante natum Basiliū Gregori-
us Neocæsariensis testis sententiae Apostolorum.
Nam discipulos eorum audierat, & existimaba-
tur optima fide puritate doctrinae retinuisse, cuius
autoritatem Deus attribuerat miraculis. Hic &
refutauit Samosatenum & scriptam reliquit con-
fessionem suae fidei de tribus personis diuinitatis
dignam memoria, quae hodie extat. Huius se do-
ctrina imbutum ab infantia inquit ipse. quod nu-
tricem habuerit mulierem studiosissimam doctri-
nae Gregorij. Nec procul distat a Caesarea sedes
Gregorij, milliarib. nostris fortasse uiginti. Nar-

res

rat autem se recte & integre percepta Gregorij
sententia uoluisse & ceterarum Ecclesiarum do-
ctrinam ad eam conferre. Tale studium inquiren-
dæ ueritatis tunc in multis fuit, in quo & pieta-
tem & modestiam laudare conuenit, pijs non sub-
ito pronunciabant, sed peritorum iudicia toto or-
be terrarum sciscitabantur. Ita uagatus est Ire-
neus, qui non solum Asiaticas & græcas Eccle-
sias, sed etiam gallicas & germanicas citat, quæ
ex re apparet initio collegia in Ecclesijs summis
fuisse pulcherrimos coetus similes Prophetarum
scholis imo angelorum agminib. doctrinæ custo-
des, omnium uirtutum officijs eam ornantes.
Nunc loci dignitatem homines amissis literis
& studio pietatis iactitant magis centaurorum
similes, quam sacerdotum. Postq̄ autem Basilius
hac peregrinatione absoluta Cæsaream redijt, ac
sepe specimen eruditionis præbuit, uocatus est
ab Episcopo Eusebio ad munus docendi in Eccle-
sia fuitq; aliquandiu lector & interpret sacro-
rum uoluminum, quod munus simile erat schola-
stico ut nūc sunt in scholis Lectores. Cum autem
inter Episcopum & Basilium similtas orta esset,
episcopi uoluntate exulcerata calumnijs mona-
chorum,

chorum, qui Basilio infesti erant propterea quod eorum ignauum ocium & inscitiam detestari sole-
ret, hic Basilius Cesarcam & Lectoris gradū ple-
num dignitatis reliquit, ne hæc factionum initia
maius incendium excitarent. Nam ubi semel di-
stractæ sunt uoluntates, partium odio dogmata
facile mutantur. Et tunc Ariani grassantes, occa-
siones captabant ueneni sui spargendi in Eccle-
sia Cesaricensi. Laudo Basiliij cōsiliū qui ne atro-
cius dissidium oriretur, cedere inuidiæ maluit.
Nec tamen, ut multi putant postea se in monaste-
rium ociosus abdidit, uixit ille quidem cum ali-
quot auditorib. in secessu qui distabat a Cesarea
circiter triginta milliaria. Sed interim uicinas
Ecclesias in Ponto sepe adibat, has docebat, emen-
dabat, muniebat aduersus furores Arianos & ali-
os. Sic tempora partebatur, ut alias suam erudi-
tionem domestica meditatione aleret, quæ ne
impediretur, aliquantisper a populo in prædium
suum secedebat, alias uero prodiens alienæ utili-
tati seruiret. Hæc ita facta esse narrat Eusebius.
Etsi autem in Epistolis Basilius Monasticen immo-
dice prædicat, ut suum cuiq; institutū blanditur,
tamen cum munus docendi non deposuerit, &
de

de iusticia fidei alibi præclare scripserit, modesti
us sensisse cum existimo, quam postea hæc recen-
tia examina monachorum senserunt.

Nec diu fuit in his latebris, sed aliquanto post
cum Ariani palam grassarentur in urbe Cæsa-
rea, & Episcopus ipse antagonistam illis oppo-
nendum esse censeret ualentem ingenio, eruditio-
ne, eloquentia autoritate, mittit ad eum Legatum
Gregorium Nazianzenum, qui reduceret eum ex
solitudine in aciẽ & patriæ prelia. Difficile erat
hominem doctũ ex illa dulcissima tranquillitate
studiorum in atrociam certamina abducere. Nec ei
ignota erant omnia illa quæ sapientissimi homi-
nes & usu periti de fugienda gubernatione disse-
ruerunt. Meminerat Demosthenem dixisse si
retexenda uita esset, & duæ uia sibi propone-
rentur, altera recta ducens ad summos honores
in Rep. altera recta ad mortem, se commonefactũ
de periculis, potius ingressurum esse mox illam
uiam quæ ad mortem ducit, quam alteram. Sed
sciebat Basilius nobis in Ecclesia hanc militiam
propugnandi Euangelij diuinitus mandatam esse,
& cogitabat omnia quæ in hanc sententiam pie
dicuntur contra uetus dictum λαθε ειωσαε,
Prodiit

Prodiit filius dei non solum ex tranquillitate sua
sed etiam ex illa aeterna gloria, & in sese tristissi-
mas poenas deriuauit. Quare nec nos de nostro
ocio, de suauitate uitae, de delicijs, sed de man-
dato dei cogitemus, & ad eam normam consi-
lia dirigamus. Et si igitur dulcedine praesentis ocij
& memoria iniuriarum quas antea ab Episco-
po acceperat, mouebatur, tamen utriq; rei pra-
tulit Ecclesiae necessitatē. Sciebat in Ecclesia gra-
tum officium esse deo $\mu\eta\ \mu\upsilon\kappa\sigma\iota\kappa\alpha\kappa\epsilon\upsilon$, nec pa-
cem ullam diuturnam in gubernatione esse posse,
nisi aliquae offensiones dissimulentur ac lenitate
animi obruantur. Itaq; reuersus primum obse-
quio & suauitate ita senis Episcopi animum sibi
deuinxit, ut concordia uere & ex animo sacra
nunquam deinde dissilierit. Aduersarios uero do-
ctrina incorruptae tanta grauitate refutauit ut
& Ecclesiae consensum retineret, & Lupos illos
breui a caulis prorsus depelleret.

Post paucos annos sene Episcopo mor-
tuo, Basilius suffragijs omnium ordinum cre-
atur Episcopus, minime tranquillo tempore.
Nam & Valentis Imp. furor crescebat qui an-
tistites recte sentiētes passim sedibus suis pellebat.

&

Et imperatoris rabiem deus fame et bellis puniebat, et secuta sunt uariae Ecclesiarum dilacerationes, Has miseras domestica Ecclesiae concordia leniebat, quam magnis officijs Basilium tuebatur. Annona laxata est partim quia autoritate sua locupletes permouit, ut frumentum mediocri precio uenderet, partim quia ex aerario Ecclesiae, et uenditis proprijs predijs opem tulit egentibus.

Cum igitur Valens Imp. iam in ea loca ueniens iuberet Basilium adsentiri Arianis eiq; nisi obtemperaret exilia et supplicia minaretur, Pueris inquit illa terriculamenta proponenda esse. Sibi uero uitam eripi posse, sed confessionem ueritatis eripi non posse. Fueruntq; diebus aliquot continuæ et acres inter Valentem Imp. et Basilium contentiones, quas tandem illustri exemplo deus diremit. Cum enim iratus Imp. uenisset in templum cum armato satellitio, ut Basilium inde abduceret, cum ad sacerdotum sedes accessisset subita uertigo Imperatorē euertit ita ut nisi Diaconi proximi manibus exceptus et sustentatus fuisset, collapsus solo corpus allisurus fuisset. Tremēs igitur et attonitus ex templo a ministris effertur, ut Heliodorus dicitur subita consternatione

sternatione oppressus esse cum templum in urbe
Ierosolyma spoliaturus esset.

Hoc exemplo aliquantulum repressa
est Valentis iracundia. Sed discedente Imperato-
re præfectus Edictum proscriptionis pronuncia-
at. Et iam ad iter omnia parauerat Basilius.
Tum uero beneuolentia Ecclesiæ erga Episco-
pum perspecta est, quæ concurrens flagitauit sibi
eum reddi, ac eijci prohibet. Metu igitur Tyrannus
coactus permittit ut Basilius maneat. Nec
multo post cū infœliciter cum gothis dimicasset,
seque in fuga in casam rusticã abdidisset, casa a se-
quentibus militibus incensa ibi combustus perijt.
Hic exitus fuit tyranni qui pios doctores ex Ec-
clesijs passim eiecerat, & late Arianũ uirus spar-
serat. Retinuerant tamen in officio & ueritatis
professione magnam Asia partem, ut dixi Basili-
us, & uicini Episcopi ipsius fratres, & alij quidã
coniuncti.

Post tyranni interitum impune tota
Asia uagati sunt barbarici exercitus quorum ar-
ma etiam Ecclesiarum tranquillitatem, discipli-
nam, & pia studia turbarunt quæ res ingentem
dolorem Basilio attulit. Sed aliquanto post ac-
cersito

uersito Theodosio & barbari repressi sunt, & re-
stituta Ecclesie. Bella tamen Episcoporum re-
giones & redditus mutarant. Inde etiam ad ex-
tremum rixæ cum uicinis Episcopis Basilio orta
sunt, in quibus ea moderatione usus scribitur, ut
redditus adimi sibi passus sit, sed pristinas regiones
sue inspectionis retinuerit, ne ibi doctores impij
collocari possent. Inter tot certamina consenuit
Basilius, ex quibus eluctatus omnibus foeliciter flo-
rente Ecclesia sub initia imperij Theodosij deces-
sit ex hac uita. Hanc Basiliij historiam partim ex
aliorum monumentis excerpsumus, in qua pri-
mum de perpetua Ecclesie gubernatione cogi-
temus. Videmus hic quoq; non humanis præsijs
seruatam esse Ecclesiam inter tot procellas qui-
bus tunc quassata est. Multi furores eodem
tempore grassabantur, Ariani, Manichei, Ca-
thari. Et imperator Valens in foelicibus armis at-
trahebat gentes barbaricas intra fines sui impe-
rij, & domi perniciosæ factionis studio uastabat
Ecclesias. In his tantis difficultatibus tamen non
est extincta lux doctrine celestis. Quare nunc
quoq; in tam tristi confusione imperiorum huius
ætatis speremus tamen deum seruaturum esse
B filio

filio hereditatem, Ecclesias uidelicet, & literarum ac doctrinae domicilia. Basilij uero foelicitatem praedicemus, qui ex tantis fluctibus eluctatus salua naui sua in portum peruenit, id est retinuit piam Ecclesiae concordiam quoad uixit.

Cumq; deo gratias agemus, quod subinde salutare doctores excitat, de nobis ipsis, de nostro cursu, de nostris studijs uero cu gemitu cogitemus ac uota faciamus ut deus nos faciat salutaria organa reip, seu ut loquitur Paulus uasa misericordiae, nec abijciamur inter uasa irae, quae fuerunt Pharao, Nero, Valens, Arius, et alij innumerabiles, qui fuerunt pestes Ecclesiae & generis humani. Haec quotidie magna cura et sollicitudine cogitanda sunt. Recitauit res gestas, in quibus & genus doctrinae conspicitur, & lucent Basilij uirtutes multae, de quibus prolixius dicere si tempus pateretur. Fides quae est omnium uirtutum mater in genere doctrinae, et constantia confessionis cernitur. Extant enim scripta Basilij quae cum multas controuersias dogmatum contineant, ostendunt recte cum de omnibus articulis Euangelij sensisse, propugnauit acerrime sententias de filio dei, et de spiritu sancto, quas deus patefecit Ecclesiae suae, & ipse a Gregorij Neocae

Sariensis auditoribus qui Apostolorum discipulos
audierat, accepit. Refutauit Catharos erudito li-
bello de poenitentia.

Quid uero de Iusticia fidei senserit, ex ip-
sius queso uerbis cognoscite, quæ extant in concio-
ne $\omega\epsilon\rho\iota\tau\alpha\omega\phi\upsilon\sigma\phi\upsilon\sigma\upsilon\upsilon\eta\epsilon$. Dicit autem Aposto-
lus. Qui gloriatur, in domino gloriatur, dicens
Christum nobis factum esse sapientiam a deo, iustici-
am, sanctificationem, & redemptionem, ut sicut
scriptum est, Qui gloriatur, in domino gloriatur.
Hæc est enim uera & integra gloriatio in deo,
quando neq; propter iusticiam suam quisquam ef-
fertur, sed statuit se carere uera iusticia, fide au-
tem sola in Christum iustificari.

His uerbis Basilius sine ulla ambiguitate
adfirmat homines non propter proprias uirtutes,
sed propter filium dei mediatorem iustos esse, ut
nunc quoq; Ecclesie nostræ dei beneficio pie &
fideliter docent. Nec dubito pijs attente conside-
rantibus hanc Basiliij uocem gratam fore. Mores
autem fuerunt casti & inculpati. Et quanquam
oratio ostendit suauem & placidam naturam
fuisse, tamen in gubernatione acer fuit. Arti-
fex fuit conciliandorum animorum & tuendæ

B ij concordie,

concordia, qua de re alicubi scribit. Non tam sinistra, inquiens, opus est dextra, quam Ecclesiae opus est docentium concordia.

Ethnicis etiam sugillantibus ipsum cum quibus dimicandum non esse censebat, summa gravitate & ueritate respondit, ne maledictis certare uideretur. Nam Libanio scribens, cuius eo tempore eloquentia maxime celebrata est, inquit orationem ipsius Rosae similem esse, nitidam & fragrantem, sed tamen spinis & aculeis circumdatam. Ac uir utum quidem ceterarum Basilij ingens ornamentum fuit Eloquentia, quae in eo tanta fuit, ut nunc quidem nullius Ecclesiastici scriptoris extent monumenta qui rectius & melius locutus sit. Ac diligentia in loquendo, & figurarum & ornamentorum delectus indicant iudicij sanitatem, & prudentiam. Quare hunc scriptorem utile est cognoscere, nec dubito legentibus ea quae sunt ipsius propria & γυνηστικα, placiturum esse, Nam monachorum regulas magna ex parte falso ei adscribi certum est. Etsi quae pars ab eo scripta est, ut Paulus inquit etiam bonos doctores, supra fundamentum stipulas extrue

re,

re, agnoscamus & deploremus communem ho-
minum imbecillitatem & normam sequamur in
iudicandis scriptis hanc, ne quid probemus
quod a scriptis prophetis & Aposto-
licis dissentit, & testimonia non
aspernemur, quae certa autori-
tate ab Apostolis tradita
esse uetustas consen-
tians adfirmat.

DIXI.

ORATIO DO
CTORIS CASPARI
Crucigeri de dono Inter-
pretationis in Ec-
clesia.



NITIO GRA
tias agamus deo
eterno patri Do-
mini nostri Iesu
Christi, quod Ec-
clesiam suam, mi-
nisterium Euange-
lij, & hæc studia
doctrinæ, in tantis

ruinis Imperiorum & diaboli furoribus, non si-
nit ubiq; deleri, Sed mirandis modis seruat, et
subim le in,taurat, & lucem euangelij late spar-
git, ac ardentib. animorum uotis petamus ut diu-
tius etiam sibi Ecclesiam inter nos colligat, & stu-
dia euangelij & omnium artium quæ Ecclesie
utiles sunt, defendat & adiuuet, ut recte inuocæ-
tur, ac ueris laudibus celebretur, & aliqua inter
hæc

homines uirtutum exercitia & seminaria man-
neant.

Hæc & quotidie petenda sunt, & ut iu-
uentus admonita horum tantorum honorum cura
ra adficiatur, hi cōgressus instituti sunt, in quib.
ideo de doctrina & de uirtutis studijs dicimus ut
ad inuocationem dei, et ad cætera honesta officia
aliquos accendamus. Maxime uero hic dies
nos hortetur ad precationem qui nobis in memo-
riam redigit ingentes Ecclesiæ clades. Hic est. n.
dies captæ Constantinopolis ante annos unum et
nonaginta quæ cum inde usq; a primo Constanti-
no ad Palæologum annos circiter mille fuisset Ec-
clesiæ dei hospitium & sedes doctrinæ unde in
Græciam, in Asiam, & Illyricum, literæ propa-
gatæ sunt, tunc a Turcis oppressa, uetus illud ac
uerum decus amisit. Et cum fuisset arx Imperi-
rij, amissa arce, uictor statim occupauit uicinam
oram ueterem Mysorum sedem, Peloponne-
sum, Corinthum, Mitylenen, et ingressus barba-
rus in Asiam Imperij arcem alteram Trapezun-
tem cepit.

Lamentantur Prophetæ auulsas a Iudæ
& dissipatas decem tribus, in quib. floruerant

B iiij summi

Summi Propheta Elias et Eliseus & eorum audi-
tores, Dolcamus & nos græcas & Asiaticas Ec-
clesias tot delctas esse, & in ea natione extincta
Studia, quæ ingeniorum sagacitate cæteris gen-
tib. omnib. antecelluit, artes genuit, aut illustra-
uit, & in possessione doctrinæ fuit amplius duob.
millib. annorum. Hæc tanta ornamenta generis
humani intra decem annorum curriculum post
captam Constantinopolin obruta sunt. Nec uero
tantum imbecillitatem rerum humanarum in hac
cogitatione deploremus, sed etiam causas, & si-
gnificationes aspiciamus, & quantum fieri pos-
test, caueamus, ne similib. calamitatib. opprima-
mur. Sunt. n. humanorum scelerum pœnæ, quas
deus Ecclesiæ mores suos emendenti, & inuocan-
ti filium mediatorem, ac retinenti lucem doctri-
næ tum remittit, tum mitigat.

Ergo & illæ ruine græciæ, & nunc re-
cens incendium Pannoniæ, nos de ira dei admo-
neant, & ad morum moderationem retrahant,
& incitent ad placandum deum. Vno pectore,
uno gemitu, & una uoce clamemus. Omnipotens
& æterne Deus, æterne pater domini nostri
Iesu Christi conditor omnium rerum & conser-
uator

uator cum filio tuo coaeterno domino nostro Iesu
Christo regnante tecum & patefacto in Ierusa-
lem, & Spiritu sancto tuo, miserere huius nostrae
Ecclesiae & coetus Scholastici propter Iesum
Christum filium tuum quem uoluisti pro nobis
esse uictimam $\kappa\alpha\iota\ \mu\epsilon\sigma\iota\tau\eta\rho\ \kappa\alpha\iota\ \kappa\acute{\epsilon}\tau\eta\rho$ & Spi-
ritu sancto tuo rege mores nostros & iuua stu-
dia doctrinae, propter tuam laudem, nec aut Tur-
cico furore aut alijs calamitatibus euangelij lu-
cem extingui sinas. Serua has politias quae sunt
hospitia Ecclesiae tuae & piorum studiorum. Ag-
noscimus te iuste irasci nobis propter multa ui-
cia nostra, & ingentia delicta, Sed cum ipse re-
uoces nos ad te, & arcano ac inenarrabili consi-
lio constitueris placatorem irae tuae filium tuum,
ac $\iota\lambda\alpha\varsigma\ \acute{\eta}\gamma\iota\omicron\rho$, hoc praecunte sacerdote, iussi abs
te petimus & expectamus ueniam & calamita-
tum mitigationem. Tu pollicitus es te etiam sene-
scentem Ecclesiam in aluo tuo gestaturum esse.
Quare nos in tanta confusione Imperiorum, in
tanta imbecillitate nostra, & inter diaboli horri-
biliter grassantis insidias clementer protege &
guberna. Haec uota quotidie repetenda sunt, nec
existimentur inane murmur esse. Perfert. n. no-
B p stros

stros gemitus ad patrem æternum Christus sacerdos noster.

Hæc initio præfatus sum in hoc congressu, q̄ hæc renunciationes testimoniorū de studijs theologicis præcipue nos de omnib. Ecclesiæ bonis, de omnib. periculis et certaminib. admonere debent. Cum autem aliquid hic etiam de doctrina dicendum sit, & hoc tempore multa de iudicijs dogmatum ac Synodis disputentur, queram de potestate interpretationis in Ecclesia, an ut in Imperijs, potestas sit regia seu pretoria interpretandi obscura dicta in scriptis Prophetarum & Apostolorum, alligata certo ordini, seu loco. Sepe in hunc scopulum sermones sapientum incurrunt, propterea q̄ nulla iudiciorum autoritas in Ecclesia esse uidetur, si interpretationi iudicum reclamare licet & petulantia ingeniorum nullum habitura est frenū, si labefactare iudicata cõceditur. Nec ignota sunt exēpla tum uetera, tum recentia. In Antiochena Synodo aduersus Samosatenum pronunciarunt uiri docti & pij λογος intelligi personam, ubi Iohannes ait. In principio erat uerbum. Sed nec Samosatenus tunc nec postea Photinus in Syrmio amplexus est hanc interpretationem

interpretationem, diu igitur propter hanc con-
trouersiam Ecclesie dilaceratae sunt.

Econtra uero tyrannis stabilitur, si refragari
interpretationi aut decretis potentium non licet. ut
sepe propter receptas falsas persuasiones in pau-
cos et imbecilles recte sentientes crudeliter seuitum
est. Pontifices et magna turba sacerdotum et Phari-
seorum damnarunt Zachariam, Baptistam, Chri-
stum, Apostolos propter interpretationum discre-
pantiam. Illi Messiam sculpsert ex dictis prophe-
ticis talem qui imperia mundi et opes daturus es-
set ciuibus. Hanc opinionem suffragia summorum
confirmabant et adplaudebat promiscua multi-
tudo. Magnum igitur et graue testimonium cita-
batur aduersus Christum, hic consensus Ecclesie,
ut nunc uocare solent. Ita et nobis consensus mul-
torum seculorum et magnae multitudinis oppo-
nitur. Nec uero ullus est durior tyrannus quam
error qui propter diurnitatem temporis iam al-
te radices egit in animis hominum, et multitudi-
nis asseueratione defenditur.

Pericula igitur in utraq; parte adparent. Si
ue detrahas gubernatoribus Ecclesie potestate in-
terpretationis, siue attribuas. Cum autem *αὐαρχία*
uideatur maius malum esse, et petulantiae uulgi

magis obsistendum uideatur, Politici uiri ut in Imperijs, ita in Ecclesia armare gubernatores et munire rerum iudicatarum auctoritatem student. Sic Sadoletus longa concione disserit non opus esse hoc tempore noua doctrine cognitione, res iudicatas esse in uetustis Synodis, harum auctoritatem non esse noua disputatione labefactandam. Si exemplum semel admissum fuerit de reb. iudicatis differendi, nullum finem ait fore dissidiorum, & monstrari malis ingenijs uiam dissipandae Ecclesiae omnib. temporib.

Nulla est apud Reges plausibilior oratio, quam haec quia seruitutem populi confirmat, & iubet regum sententijs seu ueris, seu falsis parere. Demetrium regem cuius & fortuna uaria fuit, & ingenium uarium, cum diu antecelleret regib. uicinis in Europa & in Asia Athenienses delinire omnib. artificijs & infinita adulatione studebant. Ut igitur significarent se hunc iudicare summum esse Regum, & colere diuinis honoribus, pinxerunt eum cum caelo insidentem, & decretum fecerunt. Qui aliquid uult rex Demetrius, id populo Atheniensi pium & iustum uideri. Si tantam potentiam Sadoletus & similes gubernatorib. Eccle.

Ecclesie tribui uolunt, regnum constituunt pro-
fus ignotum Euangelio. Valet in animis homi-
num similitudo imperiorum in quib. gubernato-
res tribus reb. armati sunt, lege, potestate inter-
pretationis & armis. Hic ordo & naturæ homi-
num congruit, & salutaris est tranquillitati.
Hanc Ideam, ut ita nominem, transferunt politi-
ci uiri ad Ecclesiam, quam uolunt humanis uin-
culis et septis ut imperia, circumdare, cum tamen
in hac gubernatione alia sint potiora ducenda
humanis legibus.

Narrat Hermogenes fabulam de Simijs
in hanc sententiam. Viderant Simiæ urbes, & uti-
litatem animaduertent, q̄ tecta arcerent plu-
uias et frigora, parietes excluderent fures, mœ-
nia feras & hostes. Quædam igitur Simiæ quib.
urbana uita placuerat, conuocari sui generis cœ-
tum iubent. Ibiq; in conuentu ut natura Simia-
rum est inepte imitatrix, suadent urbem cœdi
humano more, & utilitates commemorant. Tus-
tas se fore aduersus Leones et Lupos mœnib. &
aduersus imbres & frigora tectis & parietibus
facturas se etiam hortos in urbib. quorum fru-
ctib. uictitent, ac habituras se narrant hominum
more

mōre quotidianōs congressus, theatra, ludos, hanc
uite urbanae uoluptatem hortantur transferri
etiam ad suum genus. Placet nouum consilium
magnae parti Simiarum. Quanquam autem com-
memoratio faciliis erat, tamen cum materia ce-
denda esset ad domos edificandas, & saltus ma-
gna frequentia ingrediendi, hic primum ani-
ma duerterunt multis modis impediri nouum
consilium. Audistis ueterem Hermogenis fabu-
lam celebratam doctorum literis, quia multae
semper & fuerunt, & sunt, & erunt tales Si-
mie conditrices nouarum ciuitatum, & noua-
rum Ecclesiarum. Extat liber Pigij quem uoc-
cat Ierarchiam Ecclesiasticam, in qua ita pra-
fecit Ecclesiae Romanum pontificem ut conten-
dat eum ne quidem posse errare. Ideo attribuit
ei hanc potestatem interpretandi propheta-
rum & Apostolorum dicta, & eius interpre-
tationi tanq̄ uoci coelesti parendum esse affir-
mat. Haec prorsus est illa Simiae commenticia
ciuitas. An non errabant pontifices cum
Christum & Apostolos interficerent? Eccle-
sia coetus est qui uerbo dei regitur & Spiritu
sancto

sancto, & habet pastores seu doctores quo-
rum munus est uerbum dei proponere, ut ue-
ra inuocatio dei accendatur in animis, & iusti-
cia & uita eterna inchoetur, non condere noua
imperia, & leges ferre ad potentiam stabilien-
dam. Et haec Ecclesia exercet iudicia, co-
gnoscit controuersias dogmatum & reijcit opi-
niones pugnantes cum uerbo dei. Cumq; exi-
stunt controuersiae de scripto & de senten-
tia uidet Ecclesia natiuam sententiam. Semper
enim aliqui donum interpretationis habent. Est
enim in Ecclesia non potestas regia seu pretoria
interpretandi, hoc est quae sit certi ordinis
ac numeri, quam amplecti propter ordinem aut
numerum necesse sit. Possunt Episcopi & do-
ctores plurimi falli & hallucinari, & tamen
interim manet in Ecclesia donum interpreta-
tionis. Zacharias, Simeon, Elizabeth, Maria
intelligebant Prophetas etiamsi pontifices & ma-
xima pars Collegij Scribarum impijs errorib; fa-
scinati essent.

Deprauat Paulum Origenes, &
Origenem multi secuti sunt. Nec propterea
prorsus extinctum fuit in Ecclesia donum inter-
pretationis

pretationis. Melius reddunt sententiam Pauli Ambrosius & Augustinus, sunt autem & gradus eorum qui recte sentiunt, alius alio plus lucis habet. Illæ uero politice opiniones de regia & prætoria potestate prorsus alienæ sunt ab Ecclesia Dei.

Sed dicet aliquis. Quorsum igitur attinet iudicia constituere, si deest potestas interpretationis? Imo necesse est iudicia constitui, sed non tyrannica. Paulus inquit, si fuerit sedenti reuelatum, taceat prior. Legantur iudices ex toto corpore Ecclesiæ, non ex uno ordine aut una factione aliqui coniurati. Et sit Iudex summus uerbum dei diuinitus traditum, et si erit controuersia de sententia, collatio ostendet ueram sententiam. Adiuuabuntur p̄ etiam testimonijs purioris Ecclesiæ. Nam hæc non sunt aspernanda. Sic aduersus Samosatenum pronuntiabat Synodus Antiochena. Ostendebant p̄ collatis plurib. dictis in Iohanne λογος significare personam, & adiungebant testimonia tradita ab auditorib. discipulorum Polycarpo, Ireneo & similib. Adsentiebantur ergo & confirmabantur p̄ auditores, eti-

am

am si compesci Samosatenus & eius thiasotæ
non possent. Ita nunc iudicat Ecclesia nostra, con-
firmamus nostras sententias ueris & non calum-
niose, non Sycophantice, non Sophistice excerp-
tis testimonijs scriptorum Prophetarum &
Apostolicorum, adiungimus etiam antiquitatis
purioris iudicia & exempla. Estq; pijs & aman-
tib. ueritatem facilis dijudicatio controuersia-
rum huius ætatis. Adsentuntur ergo bonæ men-
tes, etiamsi interim aduersarios, qui uel uentri
suo, uel odijs seruiunt, uel fascino sunt supersti-
cionibus, uel admiratione suæ sapientiæ fastidiūt
ab alijs tradita, flectere non possumus.

Nec nostræ interpretationi propter po-
testatem aliquam credi uolumus, sed uoci diuinæ.
Mens non inuocat deum, non accedit ad deum,
si tantum adfert opinionem de deo humanam. Au-
dicant Antiocheni disputationem contra Samo-
satenum & admoniti uoce docentium credebant
λὸγος esse personam, sed credebant non pro-
pter auctoritatem iudicantium, sed propter dictæ
euangelij. Inuocabant filium dei confisi diuinis te-
stimonijs, non horum iudicium sententijs. Hoc mo-
do res in Ecclesia iudicantur.

C

Quod

Quod autem multi contumaces repu-
gnant ueris iudicijs, scimus restare aliud iudici-
um in quo filius dei palam sese ostendens uniuers-
o generi humano aeterna sententia discernet Ec-
clesiam suam ab omnib. impijs. Ad eam synodum
nos preparemus in qua & Christus & uniuersa
Ecclesia de Euangelio testimonium dicent, & ho-
stes ueritatis ac calumniatores damnabunt ac pu-
nient. Pios uero laudabunt, qui propter gloriam
dei, & suam salutem cognoscere Euangelium,
inquirere ueritatem, & ornare eam bonis morib.
studuerunt. Illud iudicium animis intueamur &
Christo & illi aeternae Ecclesiae placere studea-
mus, nec propter iniusta potentum iudicia euan-
gelij uocem abijciamus. Sciamus in hac uita Eccle-
siam dei ingentib. aerumnis exerceri, nec tantum
humanis furoribus, sed etiam diabolicis insi-
dijs oppugnari. Inter has difficultates retineamus
Euangelij lucem & deum inuocemus, ut con-
firmet hoc quod operatus est in nobis pro-
pter templum sanctum suum, id est propter
Ecclesiae salutem. Hæc petentib. haud du-
bic adfuturus est Deus pater domini nostri Ie-
su Christi & opitulaturus. Quem omnium
nostrum

nostrum mentes corda & lingue uera laude præ
dicent & celebrent.

DIXI.

IN VRBE FRANCOFOR-
dia ad Menum pictura est uirginis contex-
entis sertum ex floribus, quibus Germanicū
nomen est, *Ie lenger ie lieber*, & addita est
inscriptio uenustissima, sententiam grauis-
simam continens, alludens ad nomen herbæ.

Ie lenger ie lieber ich bin allein,

Denn trew vnd warheit ist worden klein.

Monet uitari turbam, & sodalitia, & proprio
quenq; muneri seruire. Nomen herbæ nunc
usitatum est Amarum dulce, Græcis ueteri-
bus est Teucrion, aut certe cognatum quid-
dam est. Nos hoc nomen retinuimus pro-
pter Teucris historiam. De hac francofor-
diana pictura hanc lege Stigelij Elegiam.

Capta domum rediens fortis post Pergama Teu-
(cer,

Non qualem optarat repperit esse patrem,
Nam, quia fraire redis, te non ultore, relicto.

Me quoq; te nato posse carere scias,

C ij Quin

Quin age fraternas aut mox comitaberis um-
(bras,

Aut cupies celeri rursus abire gradu,
Dixerat hæc genitor. gemit alto ex pectore Teu
(cer,

Mox tamen ad socios talia uerba facit,
Offensus pater est, pater est qui pessima nato,

Qui tamen haud merui pessima, fata cupit,
Ergo uale nostræ nutrix Salamina iuuentæ,

Quam patrem offendam rectius exul ero.
Fata uiam ostendent, forti omnis patria tellus:

Sic ait, & medio uela dat alta freto.

Venerat ad ueteris Cythereia littora Cypri,

Vt placuit tellus, hic habitemus ait.

Condidit hic urbem patriæ de nomine dictam,

Qua tereret uitæ tædia longa suæ.

Temporis accessu præcordia frigida mæror

Rodit, & e salsa pectora bile dolent.

Forte parat sacrum, positusq; sub arbore Diuis

Per uirides herbas exta cremanda locat.

Mira loquor, splenem medijs ut tangit in extis

Herba noua, arcana sed ratione potens,

Protinus attactum uideas tabescere, namq;

Deficit, admota ceu rosa uerna manu.

Splene

Splene dolens Teucer, lateri mox adplicat herbã,
Nec mora presentem sentit, ut optat, opem,
Tum uero, quoniam prodes hac parte dolenti
Teucrion a Teucro nomen habebis, ait.
Tempora quid faciunt? γλυκυπικρον nomine

(dicunt

Nunc quibus hanc Graia uoce uocare libet.
Nomina ridebis, paulo post carius illam
More suo, at pulchre Teutona lingua uocat.
Huc, quicumq; fuit, solers allusit Apelles,
Hæc cuius picta est suavis imago manu,
Ecce procul turbam fugiens uirguncula, sola
Dum sedet, ex ipsa Teucrude ferta facit.
Quod si consilij causam quis scire laboret,
Hoc uice responsi symbolon esse potest.
Quo diuturna magis, mihi carior omnis Eremita,
Exulat a uulgo cum probitate fides:
Qui sapis hinc uitæ præcepta salubria disces,
Certus in hoc uitæ, carmine gnomon erit.
Viue tibi, stolidæq; caue commercica turbæ
Consultum uitæ si cupis esse tuæ.
Nil facias, fieri nisi quod debebat honeste,
Sitq; tuæ uitæ regula certa Deus.
Nec samæ cupidum rebus te ingesseris ullis,

C

ij

Ni

Ni sinat officij causa probanda tui,
Congressus caueas, nisi cum tua functio poscit,
Illi autem placidi sint simul atq; breues.
Quos potes officijs orna, nec commoda specta,
Pro meritis reddi gratia rara solet.
Præcipue caueas ulli nimis esse sodalis
Hic latet in uiridi frigidus anguis humo.
Non ego te iubeam cædem uitare mimantes,
Quos tibi coniunctos spes erat esse, caue,
Dulce quidem certe est, & amici nobile nomen,
Sæpe sed huic etiam crimen inesse solet.
Limina præcipue fuge suspiciosa potentum,
Crede mihi hic fuco gratia rara caret.
Cautus ut cuitat blandas Sirenas Vlysses,
Illecebris aule ne capiare caue.
Hæc uitæ ratio morbosis libera curis
Est homini in primis commoda, grata Deo.
Hæc addit nostris coelestes mentibus alas
Vt certa ascendant ad bona uera uia,

IOHANNES Stigelius,

SOLONIS ELEGIA, CITATA

a Demosthene, de causis, quæ adferunt exi-
tium Regnis, & magnis ciuita-
tibus, conuersa a Phil.
Melanth.

Non urbem superi cupiunt cvertere nostram.
Et nobis, nisi sint numina læsa, fauent.
Ac nostræ custos arcis Tritonia pallas,
Perpetua cura mœnia nostra tegit.
Ipsi sed patriam sceleratis mentibus ultro
Conantur ciues dilacerare suam.
Nam precio quidam uendunt, legesq; fidemq;
Aurum qui nullo iure modoq; petunt.
Seuitiam exercent rapiuntq; tyrannida quidam,
Induat ut iustus ciuibus arma dolor.
Pars studet & sarcire domestica damna rapinis,
Exhausit patrias cum malè luxus opes.
Diripiuntq; urbis patrimonia publica nostræ,
Et sibi diuitias uiq; doloq; parant,
Et non iusticiæ formidant uindictis iram,
Consilijs superum quæ Dea semper adest.
Hæc oculis cernit uigilantibus omnia facta,
Nemo putet falli numina posse deum.

EB

Et quamuis pœnas differt aliquando, tacetq;
Mente tamen memori facta nefanda notat,
Exigit & tandem pœnas, non regna, nec urbes
Effugiunt clades, quas meruere graues.
Hinc urbs diuitijs quondam, imperioq; superba
Seruitij patitur tristia iura modo,
Aut rabidi ciues in mutua uulnera stringunt
Exorta gladios seditione suos.
Aut ualidos hostes sine caussa forte laccessunt,
Sopitumq; mouent, quod fuit ante malum,
Nanq; urbs, quæ socios iniustis prouocat armis,
Mox ruet, & subitis est peritura modis,
Casibus his ualidae gentes delentur & urbes,
Pro sprete pœnas quæ pietate luunt.
Et si qui excidio patriæ fortasse supersunt
Post hæc fata illos non leuiora manent
Extorres, sine spe, sine sede, inopesq; uagantur,
Aut empti precio uincula dura gerunt.
Sic partem fert quisq; suam, cum publica clades
Incidit, & prohibet ianua nulla malum,
Nō latebræ quenq; fugientē abscondere possunt,
In thalamos penetrant publica damna tuos.
Hæc moneo ciues, nec fabula ficta putanda ost,
Leges, atq; deum spernere, crede nocet.

Sed

*Sed placidam retinet pacem reuerentia iuris
Peccanti, quæ non parcere lenta solet.
Hæc prohibet turpem luxum, frenatq; rebelles,
Crescere nec patitur semina sparsa mali,
Iudicis emendat fraudes, uiolentaq; facta
Nasci inter ciues, disidiumq; uetat.
Deniq; uita hominum tranquilla & honesta ma-
Seruandi leges dum pia cura manet. (nebit,*

DE MOISE PERCVTIEN- TE PETRAM.

Q*ua regione Arabum fines Sineia rupes
Claudit, & incultas aspicit alta plagas.
Aegra siti lymphas medijs quærebat arenis,
Gens ex Isacidæ semine nata patris.
Et quanq; passim terram effodere perustam,
Nulla ibi larga tamen uena reperta fuit.
Iamq; animas exhalabant, siccata labellis
Dum matrum infantes ubera forte irahūt.
Expirantq; simul matres, tristiq; sepulchri
Munere maternus fungitur ipse sinus.
Hic iterum subeunt animos noua tedia uulgi,
Pœnitet & Pharias deseruisse domos.
Nec tantum accusant Mosen, sed grandius addūt*

C D Quod

Quod premat indignos, crimen habere Deū.
Scilicet hæc miseris nimium uulgata querela est.
Iusta sed est semper iudicis ira Dei.
Et quanquam fontes punit, tamen inter eosdem
Seruat reliquias agminis ipse sui.
Ergo iubet Mosen percussa educere rupe
Pro populo undarum flumina larga suo.
Obsequitur Moses, noua sed confusio mentem
Turbat, & agresso diriguere manus.
Et cuius nunq̄ pectus trepidauerat ante,
Si quando fuerant iussa obscunda Dei.
Iam ueluti nauis scopulis illisa fathiscit,
Sic rupem aspiciens excidit iste sibi.
Et ferit & dubitat, sed mox se colligit ipse,
Et uigor in pectus, qui fuit ante, redit.
Ergo ardens iterum rupem Sincida pulsat.
Et baculo cogit cedere saxa suo.
Quodq; riget, late loca uasta effundere flumen
Vnde sibi dulces hauriat agmen aquas
Hoc deus exemplo monstrat se pascere egentes
Quos ad militiam deligit ipse suam.
Sed tamen & maius quiddam spectacula tanta
Significant, multum quod meminisse iuuat
Legifer Vt Moses est iussus scindere rupem

Sic

Sic propter legem uulnera Christus habet.
Lex immota manet, peccatum punit & odit,
Proponitq; ira plurima signa Deus.
Verum ne prorsus natura humana periret,
Neue hæc frustra esset condita imago Dei,
Pro nobis gnatus Patris intercessit, aditq;
Pœnam, quam iusti sanxerat ira Dei.
Lex igitur Christum in fontem percussit, & inde
Manarunt uitæ flumina grata nouæ.
Cur autem trepidat Moses? præsagia luctus
Venturo in populo tunc pavor ille fuit.
Quæ legem uocemq; Dei gens audiit una,
Hæc Christo domino est iniicere ausa manus.
Venturum scelus hoc exhorrent pectora Mosi,
Et nondum noto mota dolore, stupent.
Sæpe Duces populi feriunt te maxime Christe,
Anteferunt dictis cum sua iura tuis.
Et cœci decus esse putant, non soluere leges
Quas decuit uoci cedere sponte Dei.
Est uirtus, leges & morum uincla uereri,
Si tamen & legum regula Christus erit.

DETESTATIO NEGLIGENTIAE EX
capite xviij. Exod.

Acer

Acer Idomæus loca per deserta uagantes,
Arcere Ebræos finibus ausus erat.
Conseruitq; manus, Sed Moses arma suorum
Adiuuat, & precibus prælia magna ciet.
Et uincit quoties palmas ad sydera tendit.
Quenq; uocat, coram sentit adesse Deum.
Brachia sed quoties iterum lassata remittit.
Cogitur Ebræi ce dere turba ducis.
Ergo die toto dum fusus pellitur hostis.
Erectas palmas ut tenuisse queat:
Subijcitur cubitis orantis saxea moles,
Sollicitoq; suis corde petentis opem.

Sic quoties curasq; precesq; remisimus ipsi,
Ocia securis insidiosa nocent
Mecebræ uacuas subeunt dulcedine mentes:
Et facile in uicium pectora prona trahunt.
Exacuant igitur tot nostra pericula curas,
Propositæ nobis exitijq; uia.
Nec quisquam putet his se emergere posse procel
Auxilium præsens ni Deus ipse ferat. (lis.
Conditor æternus uera est tibi uoce rogandus,
Hunc tamen ut places, ara petēda tibi est.
Nulla est grata Deo, nisi Christus filius, ara,
Qui

Qui luit officio crimina nostra suo.
Huic impone manus, huic toto incumbito corde.
Ad Patrem nostras preferet ipse preces,

IMAGO ECCLESIAE.

MOSES STANS IN CAVERNA RVPIS,
ac uidens tergum Dei præter
euntis. Exo. 33.

Insita sunt animis nostris ab origine prima
Noticiæ autoris semina uera Dei.
Impositum ut nobis dominum scircmus, & eius
Immotæ legi subdita uita foret.
Hei cur has flammæ diuinæ extinguere lucis,
Tam multi obliti scq; Deumq; solent?
Iustaq; legitimæ conturbant fœdera uitæ,
Contemptoq; ruunt in scelus omne Deo?
Sed paucos tamē hæc accensa in pectore flammæ
Permouet, ut uitæ munera iusta colant.
His nouisse Deum propius coramq; uidere
Quantum concedet, maximus ardor inest.
Ergo etiam Moses, uultus in lumine claro
Monstratos domini cernere posse rogat.
Sed

Sed docet & Mosen, & nos totumq; piorum
Agmen, ubi agnosci se Deus ipse uelit.
Non hæc pigra hominū cōcreta ex puluere moles
Insuper & uicijs contaminata suis
Sustinuisse potest diuini incendia uulnus,
Cum sordes nostras iudicis ira uidet,
Ergo iubet Mosen sublimi insistere rupi,
Illius & latebris se tenuisse cauis.
Hac ego præteriens, inquit, dabo terga uidenda,
Sic, ut & interea te mea dextra tegat.
NOs quoq; in immota docuit consistere rupe,
Amplecti gnatum dum iubet ipse suum.
Et latebræ nobis subeunda, Ecclesia sola est,
In qua Euangelij dogmata pura sonant.
Nanq; Deus transit, per mundi secula cuncta,
Ut cœtus aliquos iungat & ipse sibi.
Nec genus humanum, quod imago debuit esse
Autorem referens, omne perire sinit.
Quosq; sibi adiunxit, locat uno in uertice cūctos,
Nemo illum ex alia cernere sede potest.
Hi uocem agnoscunt, & facta ingentia euntis,
Præsentemq; uident semper adesse Deum,
Expectantq; olim uenturæ gaudia uite,
Et bona quæ nullo sunt peritura die.

Tunc

Tunc nec erunt discedentis uestigia tantum,
Nec tantum longet erga uidenda Dei.
Sed fulgore nouo propius spectabimus ora,
Colloquio dabitur perpetuoq; frui.
Arcanas causas, inspecto fonte, sciemus,
Et gratae mentes munera tanta canent.
Interea bellis lacerantur regna, suasq;
In poenas fato mundus ubiq; ruit.
Ac uelut aggestis Titanas montibus ausos,
Ad sublimem arcton scandere fama refert.
Conatosq; astris extinctis, omnia rursus
In uetus & coecum uertere mixta chaos:
Turcica sic rabies palam sese impia iactat,
Aduersus gnatum bella mouere Dei.
Deniq; cum uarijs quatiatur motibus orbis,
Exercent Christi multa pericla gregem,
Sed tamen hos inter terrores, magna uerendi
Dextra pios coetus protegit ipsa Dei.

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.



lo
bl
08
ei



Jf 2695

ULB Halle

3


004 088 379



TA → a

Ben





4
TIO DE
D EPISCO
niensi habita a
ne Turstes
Decano,

D. CASPA
i de dono Inter
ationis in
cclesia.

STIGELII
oa Teucro.
5 4 5.

BERGAE.